

lis non tollitur. Canon igitur verus est de formis inseparabilibus à materiâ; non de separabilibus, ut sunt animæ humanæ. 3. *Sublato effectu, tollitur efficiens*: ut calore, ignis; lumine, Sol. Canon hic verus est in causis, quæ agunt necessitate naturæ; non in iis, quæ voluntate; nec in iis, in quibus causa potest esse sine effectu: ut crapula sine morbo, philosophus sine scriptione. 4. *Sublatis mediis, tollitur finis*: ut, virtute sublatâ tollitur felicitas; diaphano, visus; cibo, vita animalis. At *positis mediis, non necessario ponitur finis*. Ratio: quia in multis natura, aut voluntas destruit opus inchoatum. Vide *lib. 2. cap. 9. can. 1. & 2. de finito*.

### Canones de subjecto & adjuncto.

Probatio di-  
ctica è loco  
subjecto &  
adjuncto.

1 *Cui subjectum proprium tribuitur vel adimitur, ei etiam propria adjuncta tribui, vel adimi est necesse:*

Ut, Omne verum corpus est quantum & finitum. Corpus Christi est verum corpus. Ergò. Item: Nulla stella habet facultatem sentiendi; quia non est animal. Christus est Deus. Ergò omnipotens. Huc pertinet canon: *Negato subjecto, negantur accidentia*: ut, Purgatorium non est. Ergò nec calidum est.

2 *De quo adjunctum proprium affirmatur vel negatur, de eo etiam ipsum subjectum affirmari vel negari est necesse:*

V. g. Omnis planta est corpus vivens; quia habet facultatem nutriendi & crescendi. Deus non ducitur pœnitentiâ; quia non est homo. Alii sic efferunt hunc canonem: *Cui tribuitur vel adimitur accidens proprium, ei quoq; subjectum tribui vel adimi est necesse*: Ut, Omne verum corpus est visibile. Corpus in pane latens, vel ex pane factum, non est visibile. E. nec est verum corpus.

3 *Cui tribuitur vel adimitur objectum adequatum, eidem tribuitur vel adimitur adjunctum circa istud objectum occupatum; & cui adimitur vel tribuitur adjunctum circa objectum occupatum, eidem ipsum objectum adimitur vel tribuitur.*

Exempli gratiâ, versatur circa modum benè disferendi.

Ergò est